



URAN OLOGIA
hoc est,
DISSERTATIO PHYSICA
De
COELO,

Quam
Adjutore D E O
Summo illo Cælorum Rectore,
In almâ ad Albin,
Academâ
S U B C L Y P E O
Præstantissimi, virtutis eruditionisq; nitore
fulgidissimi Viri,

DN. M. JOANNIS MÜLLERI SILESI,
Liberalis exercitij caussâ pensiculandam di-
scutiendamq; proponit & propinat
PAULLUS ALBERTI SERVESTA.
A N H A L T.

Ad diem 28. Septembbris,

Horis & loco consuetis.

Seneca in Epist. 72. ad Lucill.
Philosophia nullum tempus satis magnum: etiam si à pueritia
usq; ad longissimos ævi nostri terminos protendatur

V V I T T E B E R G Æ,

Anno

A V r e a p a X re Deat, pereant Certa MIna, Ies V!
Formis Gormannianis.

Cælum hocce super charteolum Spa-
tium pertensum.

Amplificis, exactissimâ pruden-
tiâ conspicuis, spectatissimaquè rerum multa-
rum experientiâ eminentissimis Dnn. COSS. Prætori-
bus, cunctisque Laudatissimæ Reipubl. Servestanæ Senatori-
bus, inter innumeræ virtutes Litteratissimis, & Litteratis oppi-
dò faventibus, Dnn. Patronis ac Nutritijs suis singulari-
honoris & observantiae venâ prosequen-
dis, suspiciendis.

Neg minus
Edecumatæ eruditioñis, præstantissime mentis,
Clarissimæq; Famæ.

V I R I S

Dn. M. MARCO FRIDE-	in illustri	Rectori & Theolo-	Professo-
RICO WENDELINO	Anhalti-	go-Physices	ribus so-
Dn. M. HINRICO KIT-	no ad Nu	Philosophiæ Mo-	lertissi-
SCHIO	tam He-	ralis	mis, di-
Dn. M. BARTHOLOM.	licone	Logices & Mathe-	gnissi-
SCHROTERO		sews.	mis.
Dn. M. PETRO à Jenâ	Professori ejusdem		Rectori
Extraordinario	&	Scholæ	maxu-
Dn. M. MARTINO CRAMERO	ibidem	ConRe	mè in-
		ctori	dustri-
			lis,

Quondam Præceptoribus, nunc Promotoribus Favitori-
busq; ceu facillimis; ita reverentia & observantia oculo perpe-
tim sibi frequentandis & adspectandis:

Sacrum, inq; Famæ templo gratitudinis ergo
suspensum est,

â

Paullo Alberti, Autore & Resp.



Aldus, Romani Juris scitissimus Hermes,
Quem stupet, & magni Ju-
ridicina facit,
Justiloquū cœpit tūm demū volvere corpus,
Cum persulcaret ruga senile caput:
Vernantes autem primā vi temporis annos
Ad studium sumfit, dia sophia, tuum:
Majorem reputans se dici posse Themistam,
Si prius in Sophicā sedulus arte foret.
Eja viri spectati: Hodiè sub pectore, Baldi
Non animum gestant, Baldica scripta
quidem
Qui manib⁹ gestant, & se gestare fatentur;
Id facit indicium, quod via recta deest.
Namq; Dices bifida multos maculare pa-
pyrum,

Vidimus, accopēs juris habere libros,
Haut semel in septem versatos artib⁹, ut nec
Socratico pastos suaviter antefavō.

A 2 Quid

Quid referam? plures vix declinare Latinā
Edictos memini scandere rostra sacra.
Orem ridiculam, post currum sistere mānos,
At q̄ volare prius, quā sibi pluma uinit?
Nil animi mihi talis inest, sed diva Sophorū
Dogmata scrutari deliciū omnē meum.
Philosophia modis illum quit mille juvare,
Qui gaudet doct̄a pallados ire scholam.
Eja Viri, gravitate pares multūq; verendi,
Cernite τὸν οὐφενὸν quomodo macto, τόνον.
Sicut n. cælum, reliquis præstatius unum est
Corporibus, cyclo qua tenet alma Physis:
Sic quoq; nostrorum turbā vos estis in omni
Fautorū verè maxima muneribus.
Chartula pertenuis, vestrate indignaq;
vultu

Hæc est: an poterit quam reperire x̄eū?
Repperiet. Nā parva solet quādoq; placere,
Quando de magnis spem simul adjiciunt.
Eja Viri, latis meritorū p̄iamia dextris
Sumite, meq; pio porrò sovet e sinu.

A. A. P. P. E. E.

C. C. VV.

Summum cultorem, qui supra

Autor-Respondens.





IOVA IUVA.

Præludium.

Iratur I. Scaliger,
quem D. Baudius supre-^{In Orat.}
mum ævi decus, neq; non
litterarum ingens columē
ac sidus adpellitat, Præce-
ptoris sui Lud: Vivis effatum, quod est:
posse plus promoveri litterarum studiis
privatis, quam sententiarum, quas Di-
putationes vocant, collationibus. Mi-
ratur, inquam, cum non sit ad salivam e-
jus & stomachum. Magis namque adri-
det eidem, quod in exercitationibus suis
scriptitat, nimirūm per auditum judi-
ciorumque communicationem acce-
dere incrementa scientijs atque artibus

*Exerc. 289.³³
[S. 6.]*

A 3 inven-

CL.Dn Iac.
Martini
Exerc Me-
taph. lib. 2.

inventis. Cum enim veritas in internis
rerum thalamis abscondita delitescat,
nec mentis statim obversetur : Dispu-
tationibus eam, velut silicum concusso-
ne ignem, eliciamus, necesse est. Quam-
obrem animadversiones & observatio-
nes hascē de Cœlo ex amoenissimo flo-
ridissimæ Philosophiæ horto delibavi.
mus, quas placidæ disquisitioni subjice-
re, & ad mētis judicijq; exquisitionis di-
optrā revocare animamur, sperantes, nos
nulli non rem gratam facturos, & si
quædam pingui Minervâ dicta irrepse-
rint, faciliter apud doctos veniam im-
petratos. Sed exercere nos auspica-
bimur.

Τέστις I.

Antequam verò ad definitionem Cœli accessus fiat, E-
tymologiam prius examinabimus. Deducunt nonnulli cœ-
lum à cœlando; sed malè; Nomen enim per œ verbum per
æ scriptum legimus, quæ mutatio apud Latinos non est in usu.
Quid dicam? ipsa ratio non est satis congrua, nam cœlum per
æ genus ferramenti est, quod vulgò celionem vocant, sicut
placet Isodoro lib. 20. c. 4. Idem ferramentum Job. 19. cele-
dicitur, quod sanè à nostrâ συζητήσει est alienissimum.

II.

Rectius igitur deriyamus à κοῖλον (unde antiquè coilum)
propter

Etymolo-
gia Latinæ.

propter concavitatem, quæ regioni Elementari obvertitur: i.
temque propter χῆμα σφυρεῖδες. Unde hanc rarerter a-
pud Poetas leguntur cava cœli, cava cœrulea carent, canit En-
nius: Vid. Beccan. de Origin. Lat. Ling. item Varr. & Nicol.
Burchard. c. 8. Repertorij Philosophici.

III.

Græci dēnominant γέγονόν διπλάσιον ὄρεων, quod intu- Græca.
entis vultus sursum sit dirigendus, & ὄλυμπον quasi ὄλόλαμ-
πεον, quod totum claritate resulgescat. Vid. Ambros. in He-
xam Zanch. de oper. sex dier. c. 2. p. 17. Simpl. cont. 93. de cœlo
ex Sententiâ Platonis.

IV.

Hebræi nominitant מִמְשָׁ, quod quidam derivare vo- Hebraica.
lunt à מַיִם ibi & מַיִם aquæ. Nonnulli ab שָׁ & מִם
ab igne & aquâ dictum satagunt. Alij יְרֻקֵּי muncupant à
עַכְבָּר expandit, extendit, quod Latinis Firmamentum est. Sed
de his unicuique caput suum relinquimus, nec certi quid sta-
tuimus, siquidem heic Doctores certant, & adhuc sub judice-
lis est.

V.

Datâ derivatione, Cœlum in tanta opinionum diversita- Definitio
te definimus, quod sit corpus naturale, omnium maximum cœli.
& subtilissimum, commune stellarum receptaculum.

VI.

Cœlum esse corpus, quis est qui inficias ire queat, cum in se
habeat principium motus? At quod habet in se Principium
motus, non est, nisi corporeâ substantia, inquit Zabarella
decus illud & lux Aristotelis lib. de const. Scient. Natur. ex
Aristotelis lib. 2. Physicor. contr. 4. Ergo qui circumdatio-
nen visibilium & invisibilium esse adserunt, non leviusculè
hallucinantur.

VII.

Naturale corpus esse constat exinde I. quod habeat
motum secundum naturam. At quidquid habet κίνησιν οὐ
Φύσιν



Quoniam id est, omnia Quoniam Arist. i. de Cœl. c. 2. II. Cœlum est in certo loco naturali. Supra scilicet, & non infra. Quidquid verò est in naturali loco, corpus naturale sit, necessarium est, 3. Phys. c. 5. III. Omnia in se concludit corpora i. de Cœl. c. 9. E. est corpus, nam naturale a non-naturali contineri non potest. IV. Præditum est longitudine, latitudine & profunditate. At quidquid tribus hisce dimensionibus constat est corpus naturale secundum Philosophum Prægloriosissimum Dn. Jac. Martini Præceptorem meum *αγαόλημον* in Exerc. Metaph. lib. i. Exerc. 5. th. 10.

I X.

Ast insurgit forsitan sententiæ hujus receptaculum alterius propugnaculum, objiciens: cœlum esse Spiritum. Sed nil obstat. Quando enim Cœlum Spiritus vocatur, non propriè id intelligendum, sed metaphoricè. Sic Hieron. Zanchius in lib. de oper. D E I cœlum propter subtilitatem ait corpus esse tale, quod spirituale meritò adpellari possit. Et eruditissimus Janus Pena in eruditissimâ Præfatione super Euclidem cœlum, inquit, est animabilis quidam Spiritus per omnia diffusus. Quid multis? Qui huic sententiæ oppugnatores, nostræ verò ad stipulatores desiderant, eos ablegatos volumus ad Philosophum Philosophorum, qui i. de Cœl. cap. 9. & alibi cœlum nominatim vocat corpus naturale. Item Averroem i. de cœl. Com. 5. & 2. de Cœl. Com. 3. Zabar. de Nat. cœl. cap. 10. P. Fonsecam in lib. 5. Arist. Metaph. c. 4. &c. Perer. lib. 7. cap. 7. Magir. lib. 2. Phys. cap. 2. th. 6. Goelen. lib. 2. Disp. Phys. c. 2. th. 6. & Bartholin. c. 1. Physicæ specialis.

I X.

Cœlum esse subtilissimum ait Doctiss. Keck. in Syst. Physico, cui suffragatur Clarissimus Dn. M. Vendelinus Præceptor meus opidò quam devenerandus in Synopsi Physicæ id ipsum eruditè probans. Imò si nullus sententiæ hujus propugnator existeret, patesceret tamen ex eo, quod non sit visui obvium, quod autem visui non est obvium, ad naturam spiritalem, licet ipsum non sit essentia Spiritus, quam proximè acce-

accedit. Sed non intelligimus heic subtilitatem virtualem, verū substantialem. Competit enim subtilitas naturæ cœli: Siquidem quod omnium in mundo debet esse initium ac terminus, & consequenter præstantissimum, illi subtilitas summa quoq; comperit. Pertinent enim puritas, simplicitas & subtilitas ad dignitatem dignissimam corporis physici. Propterea quoq; lucidum, præque candore albissimum, ut Campanella ait, existit, quō subtilissimæ subtilitatis inter physica corpora capax esse queat.

X.

Maximum esse ex thesi constare putamus, quā omnium corporum initium ac terminum diximus. Præterea natura continentis habet in se proprietatem illam ut perpetuò extendatur latius suo contento. Reliqua attributa nemo nisi Mopsus & Gryllus negabit, cum sint apud omnes Physicos in confessu, pluribus igitur argumentis comprobare otiosum & supervacaneum ducimus.

XI.

Post Definitionem cœli meritò collocamus partes qua- *Distributio-*
rum alia est ēvaspꝝ alia āvaspꝝ. ēvaspꝝ ut nomen i- *in partes.*
psum indigit, est ea, quæ stellis refertissima & micantissima perhibetur. āvaspꝝ quæ nullas stellas in se complectitur. Nonnulli dicunt esse alicubi cœlum, quod stellis careat, sicut memini jam eximum Philosophum Dn. L. Philip. Möllerum Mathematicum Lipsiensem quondam prolectio-
ne dixisse & Keck aliquo loco referre.

XII.

Efficiens est D E U S ille trinus, qui in Principio cœ- *Causa Effi-*
lum creavit, Genes. I. & passim alibi, Materiā & Formā con-*cians.*
stans.

XIII.

Materiam cœli licet multi magni nominis Philosophi negent, nobis tamen cum gratiosa eorum venia statuere allu-
bescit, propterea quod in cœlo deprehendantur illa necessa-

B

ria Ma-

ria Materiæ consequentia, ut sunt Quantitas, densitas, raritas & alia, quomodo ergo ἀύλον esse poterit? Verè enim Plotinus Enneade 2. lib. 4. c. 6. Quidquid habet molem habet etiam Materiam. Et Scaliger illud naturæ miraculum, corpus sine Materiâ fingere, est insomnium facere sine somno, verissimè est effatus. Consentunt nobiscum Arist. Summus ille Philosophiæ secretioris Princeps lib. 1. de cœl. §. 93. & seqq. Perer. lib. 5. Phys. c. 9. Sonzin. 12. Metaph. q. 7. Thom. Aquin. p. 1. q. 66. act. 2. Javell. 8. Metaph. q. 12. & 9. q. 17. Conimb. lib. 1. de Cœl. q. 4. & alii permulti.

XIV.

Sed assertâ cœli Materiâ oritur jam quaestio qualis nam sit? Haut pauci Cœlum ex aquâ constare sunt opinati eam ob caussam, quod dicatur Schamaim, quodq; D E V S jussit Firmamentum prodire ex medio aquarum, & quæ præterea &c. Verūm erronea hæc est opinio. Nam si omnino concedatur, cœlum ex aquâ esse compactum, sequitur quod ob id aqueam retineat naturam? O crassam consequentiam! eadem certè ratione obtinere quimus creatas res omnes ejusdem esse naturæ, quia omnes ex eadem materiâ sunt conflatæ & efformatae. Quid vero ad expansi vacabulum? Si vehementer id urgetur, respondemus quod à Genere ad Speciem determinatè nequeat formari argumentatio. Sicut enim exinde non ad aërem, ita nec ad aquam possum argumentari. Etymologiam si infers, parum efficies, namque ex illâ nulla fiunt argumenta firma. Pluria in hanc sententiam legere cupientem remittimus ad Physicam Christianam Lambertii Danæi tract. 5. cap. 7. item Keck. lib. 2. Phys. cap. 2, quem egregiè hæc de re differentem introducimus.

XV.

Igneum esse cœlum docuerunt Pythagoras & Heraclitus, aliquique cum illis, hoc fulcimento Biblico nixi, cœlos

cœlos nempè igne conflagratos esse. At huic opinio-
ni nos non subscribimus. Si enim cœlum esset igne-
um, ignis igni consumeretur, & sic idem ageret in i-
dem, quod est absurdissimum. Quid loquar & si cœ-
lum esset igneum, sequeretur astra quoquè esse ingnea,
habent enim eamē cum eodem substantiam, & sic
Sol non minus hyemali tempore, quam in æstate calface-
ret, imò magis calfaceret, utpote qui in hyeme est propi-
or. Hæc autem ita se non habere etiam iustici (ta-
ceo præstantissimos quoquè Autores) gelu quasi concreti
testantur.

XVI.

Aereum esse Empedocles, Franciscus Valesius, &
multi alij pronunciaverunt. Sed nec hanc sententiam
amplectimur aut patrocinamur. Qui enim possibile,
ut tenuissimum illud corpus ita exsiccaretur inspissa-
tumque sic consisteret. Et qualis quæso est consequen-
tia. In Genesi nominatur expansio, in Psalmo dici-
tur extendit cœlum velut pellem. E. est substantia æ-
reæ, quasi verò nondaretur alia Materia tenuis præter æ-
ream.

XVII.

Terreum esse olim quidam disceptasse ajunt, sed
incassum, qui enim quit esse terreum, cum sit corpus le-
vissimum, terra contra gravissimum. Dein, si esset terre-
um, utique etiam posset concludi esse opacum. Sed contra-
rium docet schola Philosophica. E. Quin imò si ita ar-
gumentari liceret, multa inde sequentur absurdæ, quæ qui-
libet proprio Marte ex facili intelligere poterit, nos ea, ne
fortean in immensum crescat nostra disputatio, siccō loco
præterimus.

B. 2

XIX.



XIX.

Qualis cali quod Quidam Essentiam quincam nuncupant. De Essentiâ Materia. autem Quintâ varia inter Philosophos sunt discepantia, quas excutere nostri non est propositi. Vid. Arist. lib. 1. de Mundo Keck. loco supra sub thesi XIV. citato. Item Isenach. lib. 2. Phys. c. 1. qui omnes satis prolixè de hac Materia scripserunt.

XIX.

Quæritur ulterius an Materia quæ est in cœlo & Sublunari-
um plane & totaliter differat? consummatissimus Philosophus
Scaliger Exerc. 61. S. 1. & 5. Ut & lib. 1. de Plant. p. 61. cum Phi-
lippou. in Disput. contra Proclum Arg. Roman. in Opusc. de
Materia cœli q. 2 juxta ac Avicen. l. suff. c. 1. Materiam eandem
rationibus plurimis defensum eunt.

X.X.

Ubi tamen distinctè loquendum est, nam est eadem
materia generalis, sed non eadem substantia specialis. Cœlum
namque ex Materia rudi & informi & quæ proditum est atque
terra. Cumq; heic alias prolixè disputetur, an materia cœle-
stis ab Elementari specie vel gradu differat, nos illam gradu
differre adserimus. Nam quæ specie differunt, formâ differunt.
Materia vero, quatenus talis, non habet Formam sed totum
compositum.

XXI.

Forma. Fuit Materia cœli; Formam informantem nec animam
nec adstantem intelligentiam dicimus, sed internam natu-
ram à creatore inditam, per quam id est, quod est.

XXII.

Controvertitur iterum hoc loco bifariam. 1. Num cœ-
lum habeat Formam? num secus? Multi præclarissimi Viri ne-
gativam suscipiant defendendam; nos cum benigno illorum
indulgu. exercitij gratiâ absq; omni præjudicio videbimus,
num affirmativam tueri queamus hunc in modum: Physi-
ca Ge-

ca Generalis docet, omne corpus naturale constare Materia & Formam. Cœlum verò esse corpus naturale supra ostendimus, quis igitur illud Formam suā privabit? Et sanè si quis solis formosissimum corpus contemplatur, illud esse Materiam duntaxat non adfirmabit, quin lucem illam fulgidissimam à formâ aliquâ internâ istius corporis promanare nobiscum dicere non verebitur, quippè omnis qualitas & præsertim tām pulchra Qualitas à Formâ non autem à Materiâ oritur trahit. Et si non haberet cœlum formam, esset corpus ignobile, siquidem in omni corpori naturali accidit præstantia ex dignitate & nobilitate suæ Formæ. Plures ad necesse rationes quo sum opus?

XXIII.

Altera Quæstio est, num cœlum habeat animam? id quod plurimi Philosophi demonstrare conantur argumentis plurimis, è quorum numero unum atq; alterum inspiciamus. Dicunt ex Psalmo 135. fecit cœlos in intellectu, id est, in divina intellectu sui sapientia condidit, ita ut ēvagīas obtineant talēm, qualis non nisi à summè intelligenti oriri potuit. Nec officit quod urgeant mundi partes esse animatas, ut arbores, herbas, plantas. Exinde cœlum etiam animatum esse concludere exæstuant. Sed nos responsum damus paucis, quod videlicet argumentatio à parte ad partem in toto aggregato, qualis est mundus, sit nimis lubrica. Cetera brevitatis studio omittimus & pluria de his inhiantem ad Autores supra nominatos remittimus.

XXIV.

Formam cœli informantem vidimus. Tribuunt quoq; adsistenter cœlo Formam Autores Physici. Eam autem esse dicunt intelligentias, quæ adstant cœlo, eiq; motum præbeant, movere eas autem non tactu orbes, at virtute, proinde ut animas corpus. Inter eos Autores primas tenet veteris Peripati Princeps Aristoteles, ac post eum subtilissimus Scaliger, Zabarel. Piccolom. Perer. Titelm. Magir. & alij. Ra-

B 3

tio co-



tio eorum potissima hæc est : Quodcumque movetur in loco suo naturali necessariò habeat Rectorem , nisi deviare ac confundi debeat . Cœlestes orbes moventur , E. necessariò habeant Rectorem , nisi in motu confundi debeant . Orbis verò numquam confusos ire , quin potius regularissimè semper moveri omnes statuant . Statuant itaq; juxtim . Rectores ipsis adserere , qui nulli sunt alii præter intelligentias .

XXV.

Illos autem Autores tantum $\chi\delta\zeta\alpha\tau$ disputare sentimus , & proinde ad majorem syllogismi Propositionem respondemus , eam non esse $\kappa\alpha\delta\omega\lambda\mu\lambda$, sed magis loqui de motu artificiali quam naturali . Siquidem omne corpus naturale habet Principium motus juxta Hieron . Savonarolam in Epit . Phys . pag . 337 . in se ac suâ substentia . Cœlum est corpus naturale . E. Sicuti igitur terra arbores , herbas & graminæ producit ex interno naturali Principio ; consimiliter quoq; cœlum suum habet motum non aliunde , verum & in ex se ipso .

XXVI.

Finū . Sed ad Finem progredimur , qui est vel Primarius , vel Secundarius . Primarius est gloria divina . D E U S enim creavit illud , ut testaretur de omnipotentiâ apud creaturas . Sæpicule enim in Psalmis mentio fit cœli , quando miracula altissimi recitantur in gloriam & laudes ipsius Majestatis . Secundarius est , omnia ea , quæ ambitu continet , fovere , iisque juxta receptivitates suas influxus immittere . Fines remoti sunt aquas superiores ab inferioribus distinguere , astrorum domicilium esse & locum . Genes . x .

XXVII.

Ordinis ratio , quo quæ res constant , pulcræ sunt , ceu pulcrè Augustinus loquitur , exigit nunc , ut de affectionibus quoque in cœleste corpus cadentibus nonnihil verborum

rum

rum faciamus. Sunt verò eæ vel Generales, quas cum reliquis
naturalibus corporibus communes globus cœlestis obtinet.
Vel speciales, quibus tanquam privilegiis solus gaudet.

XXIX.

Inter illas Quantitas continua, quam Discreta. Illius ratione finitus: siquidem si infinitus esset 1. Cognitionem & Propinquitatem haberet aliquatenus cum Numine divino, quod impium dictu foret, gloriam enim meam alteri non dabo dixit Dominus. Nequè se creator ita communicavit, cum creaturā isthac, uti omnipotentiam illi suam exhiberet, imò testari jussit eam de Majestate sui creatoris. 2. non esset corpus naturale, id quod adserere *ἀποπόντες* *ἀποποτάγματα*. 3. Nulla esset de cœlo doctrina atque cognitio, quandoquidem infiniti nulla est daturè scientia, veluti tritus Philosophorum canon sonat. Quorsum igitur quareque disquisitiones tot ac tam variæ instituerentur Iuscipturę?

XXIX.

Discretæ Quantitatis cœlum est unum, Aristotele scrivit *Lib. 1. de bente, quem unum pro mille adponimus.*

Cœl. c. 9. etc.

XXX.

Speciales cœli affectiones sunt Qualitates quædam, quæ sunt vel primæ vel à primis ortæ. Primæ dicimus eas non propriè velut Elementis competunt, at analogicè tantum. Et sunt 1. Puritas & subtilitas. Est enim cœlum omnis mixtionis expers, simulque omnium in mundo altissimum. Quò verò altius fertur res, eò subtilior esse putanda venit. II. Penetrabilitas, quia namque cœlum est corpus fluidum, & tale, quod stellas suo motu proprio curretes transmittit, rectè penetrabilitas ei adsignatur. Porro quod stellæ in æthere sicut aves in aere aut pisces in aquâ liberimo ferantur cursu, in doctrinâ de motu stellarum abunde demonstrant Physici.

XXXI.

Tertia Qualitas dicitur Immutabilitas, cœlum enim à nullâ



nulla creaturarum corrumpi mutari potest. Creaturam dicimus nullam posse illud mutare, non tamen immutabile ponimus respectu Dei, ille namq; autor est non cœli solummodo, verū etiam totius naturæ. Et qui majus potest, ut creare, etiam minus posse, ut mutare, existimandus est. Atque hoc modo intelligendum esse dictum Aristotelis cœlum esse ingenerabile ac incorruptibile CL. Keck. scripsit lib. i. Phys. c. 2. nempè nec generationem nec corruptionem, quæ mutationis species existunt in cœlum cadere à reliquis rebus creatis. Neq; conveniret cœli præstantia ac sublimitati ut ab aliis corporibus pateretur. 1. quia inter ea præstantissimum est & agens primarium. 2. etiam ingentissimum existit. E. in minora agit non contra hæc in illud. Hæc est communis Physicorum de ἀΦροδίτᾳ cœli opinio. Non autem ignoramus pro mutabilitate cœli multa adferri pondorosa argumenta, quæ quia à Mathematicis potissimum urgentur, ad scholā eorundem meritis simò amandamus, quippè qui ex Φαινομένοις aliquibus probaturos se ajunt principium Generationis in natura cœli situm & inditum.

XXXIII.

Quarta dicitur Figura, quæ cœlo sphærica seu rotunda inest. 1. quia simplicissimo corpori simplicissima quoq; Figura congrua est. 2. eidem perfectissimo perfectissima insit natura necessum est. 3. Quia stellæ fixæ circa polum ut centrum omni tempore sphæricè circumvoluntur. 4. Quia partes cœli omnes rotundæ sunt, quidni etiam totum cœlum? Quinta Pulcritudo nominari potest: Quia tūm ex singulis cœli partibus elucet, tūm ex ipso cœlo.

XXXIV.

Hæc fuerunt cœli Qualitates primæ. Ortæ sunt, quæ non ita immediatè à cœli naturâ effluunt. Ac sunt Lux & vis occulta agendi.

XXXV.

Lux est Qualitas corporis lucidi, quæ non tantum splendet

det ipsum, sed alia quoque illustrat. Vis agendi occulta est
Qualitas, quā cœlum inferiora virtutem suam clām emittit,
inq; ipsis mutationem cāpse efficit.

XXXVI.

A luce porrō proveniunt Lumen, radius & splendor.
Lumen est repræsentatio corporis cœlestis in corpore dia-
phano. Radius est vis Lucis, quæ à superficiebus, quas illumi-
nat, repercutitur.

XXXVII.

Estque Rectus, qui non impeditus corpore opaco dire-
ctè progreditur. Reflexus, qui opacum corpus incurrit. Fra-
ctus, qui etsi à medio quidem excipitur, propter ejus tamen
raritatem in densum desilit. Et Refractus, qui medium den-
sum prorumpit, inq; rarius corpus descendit.

XXXVIII.

Heic improbamus sententiam eorum, qui autumant
radios, quia refranguntur, esse substantias, contra ita argu-
mentantes: Nullum Accidens potest de se gignere substan-
tiam, Lux ipsa est Accidens, quomodo igitur de se gigneret
substantiam? Sanè Lux gignit Lumen, quod à diaphano susce-
ptum corpore pro diversitate illius repercutitur & tūm radi-
us dicitur. Sed tantum est positionum ad eventilandum
secundum tempus datarum, in queis probabiliores Physico-
rum sententias sumus insecuri, quæ si non ad genium & inge-
nium omnium fuerint, illos quæsumus, ne temeritatis ali-
cujus nos insimulent, quin sciant potius Excellentissimorum
Philosophorum eamdem nobiscum hac super refuisse & esse
mentem. Verosimilioribus sententiis cum omni lubentia
sumus dicto audituri. Nemo enim sibi imaginetur, nos sola
autoritate moveri, sed rationibus, sine quibus autoritatem
humanam pauci aestimamus. Interim manet cœcitas & ma-
gna difficultas in naturalibus. Ipse Philosophus de Adfectio-
nibus cœlestibus loqui non erubescit: Quædam atti-

gimus, de quibusdam adhuc dubitamus.

C

Quæstio

Quæstiō Colophonis loco
addita.

Num cœlum recte adpelletur Terræ
maritus?

Non solum maritum sed etiam Filium ter-
ra cœlum dixit Hesiodus, Fons ille, imò ocea-
mus sapientia,

— — — à quo ceu fonte perenni
Vatum Pieris ora rigantur aquis.

Maritus est, quoniam obtegendo terram, incas-
tescere eam efficit, quod germinascere, variasq;
herbarum, Plantarum & Arborum species pro-
ducere possit. Filius vero est posterioritatis re-
spectu, siquidem terra tanquam magna mater
sola, omnia adspectabilia progenuisse olim existi-
mabatur, imò credebatur. At sat.

State statim remi, quoniam nunc littora tango.

T I B I,

Qui sator esq; Soli, qui sator esq; Poli,

Sit Laus ac gloria in seculis,

BIGA

B I G A

Prosphonematum à Com- mensali & Amicis adposita.

I.

Militis Encomium turpe est, qui, tempore belli
In Patriâ latitans, bella subire fugit.
Laus eadem occulto est Musæi tegmine, scuto
Sub Sophies qui non bella movere velit.
Ergò Alberte tua est laus major bella cruentos
Haut metuens ictus fortiter ore subis.
Sic verus Miles Musas dum castra sequendo
Defendis, victor laurea serta refers.
Nominis hinc figent Musæ tibi digna trôphæa
Perpetui: tepidis dum calet Auster aquis.

Litteratiss. Dn. Respond. congratulabundus
adscribere voluit

Mauritius Fridericus à Wedel,
Nob. March.

II.

DE Cœlo doctâ dum differis Arte, brabevton
Eximium studiis posco ego, Amice, tuis.
Nullus ē hinc dubito; successus ritè sequetur,
Qui Cœlum colit, is præmia ab axe feret.

Amoris & memoriæ gratiâ
scripsit

Zacharias Gerganus Itbacensis
Gracius.

F I N I S.



— A D I S —

ရွှေတောင်မြန်မာပြည်၏ အကျဉ်းချုပ်မှု အမြတ်ဆင့် ဖြစ်ပါသည်။
မြန်မာနိုင်ငံ၏ အကျဉ်းချုပ်မှု အမြတ်ဆင့် ဖြစ်ပါသည်။
မြန်မာနိုင်ငံ၏ အကျဉ်းချုပ်မှု အမြတ်ဆင့် ဖြစ်ပါသည်။
မြန်မာနိုင်ငံ၏ အကျဉ်းချုပ်မှု အမြတ်ဆင့် ဖြစ်ပါသည်။
မြန်မာနိုင်ငံ၏ အကျဉ်းချုပ်မှု အမြတ်ဆင့် ဖြစ်ပါသည်။

Wittenberg. Diss., 1613/23


ULB Halle
002 673 304

3



V8 17





B.I.G.

Black

19	18	17	16	15	14	13	12	11	10	9	8	7	6	5	4	3	2	1	0
Inches	Centimetres																		

FarbKarte #13



XXV

URANOLOGIA

hoc est,

DISSERTATIO PHYSICA

De

COELO,

Quam

Adjutore D E O

Summo illo Caelorum Rectore,

In almâ ad Albin,

Academiâ

S U B C L Y P E O

Prestantissimi, virtutis eruditionisq; nitore
fulgidissimi Viri,

DN. M. JOANNIS MÜLLERI SILESI,

Liberalis exercitij causâ pensiculandam di-
scutiendamq; proponit & propinat

PAULLUS ALBERTI SERVESTA-
ANHALT.

Ad diem 28. Septembris,

Horis & loco consuetis.

Seneca in Epist. 72. ad Lucill.

Philosophiae nullum tempus satis magnum: etiam si à pueritiâ
usq; ad longissimos ævi nostri terminos protendatur

VVITTEBERGÆ,

Anno

AVrea paX reDeat, pereant CertaMIna, IesV!
Formis Gormannianis.

